Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26208
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Significat i. o.

Ideo etiam corpus xpi de pane fit. qui ex multis granis
conficitur. quia ecclesia corpus xpi per illud reficitur. que ex mul
tis electis colligitur. Que grana scilicet electi flagello pre
dicationis de theca ueteris uite excutiuntur. penitentia
arefacti. quasi duobus lapidibus moliuntur. dum duabus legibus
in scrutinio minutatim imbuuntur. Cribrati. conspersi. con
pastinantur. dum a fidelibus segregati. aqua baptismatis
renati. uinculo caritatis per spiritum sanctum in fide copulantur.
Ut panes in clybano excocti. in candorem mutantur. dum in ca
mino tribulationis examinati ad imaginem dei refor
mantur. Tali modo panis effecti de pane xpi reficiuntur. et
hi in eternum non moriuntur. Ideo uero hoc sacramentum de

De sacrificio vini.

uino fit. quia xpc se uitem dixit. et scriptura eum uinum io
cunditatis asseruit. Qua autem in prelo duobus lignis expressa
in uinum liquatur. et xpc duobus lignis crucis pressus. sanguis
eius in potum fidelibus fundebatur. Ideo etiam sanguis xpi de ui
no conficitur. quod de multis acinis exprimitur. quia per illum corpus
xpi ecclesia recreatur. que de multis iustis congregatur. Hec pressu
ris mundi quasi in torculari calcatur. et xpo per passiones
incorporatur. Ideo autem hoc sacramentum de aqua fit.

De aqua.

quia aqua de xpi latere exiuit. et Iohannes angelus aquas populos
esse retulit. Et ideo aqua uino admiscetur. quia populus sangui
ne xpi redemptus. per aquam baptismatis ablutus. per pastum
huius cibi. et potum huius uini xpo counitur. Panis autem hic in
carnem conuertitur. quia xpc pascalis agnus pro nobis occiditur.